Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38125
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



interpretem; quia tribus fidelium gradibus, de quibus sepius diximus, coniugatorum scilicet continentium et uirginum, et doctrina ueritatis aperuit, et cursum boni operis imperauit, et hereditatis sempiternae inmarcescibilis atque incorruptae benedictionem promisit atque donauit; et apte scyphi speruleae et lychna candelabri non super calamos, sed sub calamis fieri iubentur, quia corda praedicantium immo omnium electorum ne ad infima delabi possint, donis mandatis et promissionibus dominicis sustentantur atque ad amanda et quaerenda ad caelestia subleuantur;

Hinc etenim sancta ecclesia uidelicet sponsa Xpi de ipso gloriatur dicens, Leua eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me; Leua quippe sponsi sub capite est posita sponsae, quia temporalibus beneficiis dnr mentes fidelium a terrenis uoluptatibus et concupiscentiis segregans, ad sperenda ac desiderandaperpetua bona erigit. Et dextera illius amplexabitur eam, quia ostensa diuinae maiestatis eius uisio illam sine fine glorificat. Apte scyphi spera et lychna sub duobus sunt calamis, quia in utroque testamento fidelibus quamuis caerimoniis distantibus, eadem deuotio dno seruiendi mandata, eadem est gloria regni caelestis conseruata; Quasi tu autem scyphus sperula